

Oratio de eleganti
dicto aurora grata
muis. quam ... in
incllyta ad Salam
a...

Junander, Robertus Paschasi,

F1700 Br.922



National Library
of Sweden

JUNANDER

F 1700
Br 922


Pv. Saml.

Föic 1700.

Lat. Tal Mps.

(Br)
o





ORATIO. 27

De

Eleganti dicto

AURORA
GRATAMUSIS.

Quam

Cum consensu

Consultissimi atq; Excellentissimi Viri

Dn. JOHANNIS LOC-

CENII J. U. D. ejusdemq; in celeberrima Academia Ubsaliensi Antecessoris Ordinarij, ac Eloq. Skyt. Profess. Extraord. Præcept. & Fautoris sui ævum honorandi.

IN

Inchta ad Salam Academia, sub Excellentissimorum virorum ac honestissimorum juvenum consessu 3. Maij

A. τῆς παρ' Ἐνοπιῆας 1635. publicè recitabat

ROBERTUS PASCHASII
JUNANDER SMOL.

Seneca lib. 1. Epistolarum. Nullus agenti dies longus.

UPSALIÆ,

Imprimebat ESCHILLUS MATTHIÆ,

70

O R A T O

1840

U

GRATI

1840

GRATI

1840

GRATI

1840

GRATI

1840



Humanitatis Studiosis.

S. P.

Auroram musis esse amicam, vulgatum sed verum, est dictum. Nam mens tunc magis vegeta, à sole oriente quasi provocatur & excitatur ad sibi Musisq; liberius vacandum, quam adulto die. Spiritus tum etiam sunt excitatiores, minusq; distrahuntur alijs curis. Unde Scaliger lib. 3. Epidorp. præclare:

*Quæroriferis aurea subnixâ quadrigis
Matuta colores redit effundere mundo,
Quasi principium te moneat tum adesse rerum.
Te tum incipiens noscere & apparare vitæ.*

Idem lib. 5.

*De mane magis libera puriorq; mens est,
A sole levis spiritus excitatur almo.
Cum quo simulat præpetis orbitam diei
Afflavit equis ignicomis oriens anhelis &c.*

Ibi qui careas, favente celo?
Hæc digna legi, digna semel lata referri.

Sed illud dictum *Aurora Musis amica* eleganti illustravit & exposuit Oratione morum & studiorum cultu ornatissim⁹ Juvenis DNL. ROBERTUS PASCHASII, Junander Smolandus quæ ignavis & somnoletis instar Horologij matutini veterno excitantis, vigilantibus & industrijs confirmandæ & commendandæ diligentia stimulus esse queat. Ad hanc Orationem à meridie post preces vesperinas audiendam Humanitatis Studiosos amanter amiceq; invito P.P. a. d. 3. Maij, Anno M, DC. XXXV.

JOHANNES LOCCENIUS. D.



O R A T I O.



Magnam esse utilitatem Sententiarum, in omni vitæ genere, Reverendi Consultissimi, experientissimi Clarissimi & Excellentissimi, viii, Professores, Præceptores & Ephori quovis Reverentiæ honoris ac observantiæ cultu atatem suspiciendi. Tuq; nobilissima ac præstantissima optimisq; literis dedita civium literatorum Corona, Magnam esse dixi utilitatem Sententiarum in omni vitæ genere, Quotidiana experientia docet, & multa ac præclara Sapiantum testantur, continent enim Sententiæ præcepta salutaria, & utilissimas commonefactiones de maximis rebus. Nam vel de Deo & cultibus ipsi præstandis concionantur vel de moribus omnium hominum præcipiunt: vel gubernatorum officia continent; vel deniq; in œconomia locum habent, quæ est ubertas illarum per omnium statuum cellas se defendunt, ut copia mellis ab apibus per favos digeritur.

Præclare itaq; Atticus Orator contra Ctesiphonem,

.C. SU. 2000. 100. 100.

nem, nos hortatur, ut multas sententias ediscamus,
easq; eximium in vita *ἐφ' ὅλης* esse statuamus.

Memoriæ etiam proditum est platonem So-
phronem Sententiarum scriptorem tanti fecisse,
ut non solum libros ejus assiduè & diligentet lege-
rit, sed etiam eos capti suo cum moreretur suppo-
sitos habuerit. Inter alia verò præclara dicta,
quæ ad nostrum forum propriè spectant, hoc vul-
gare dictum: **AURORA GRATA MUSIS APTA**
STUDIIS ultimum locum non meretur. Quod
pro modulo mei ingenio evolvere atq; explicare
animum induxi: Si hoc nobis tam in animo inscul-
ptum esset & in studijs nostris ad usum transferrere-
tur, quam ab omnibus crebris, usurpatur sermoni-
bus, non solum melius valeremus sed etiam multò
citius & facilius ad virtutem & sapientiam (quæ
duo in hac vita omnium præstantissima sunt) per-
veniremus. Antequam vero ulterius profero gra-
dum pristino vestro candore & favore quo erga
alios Musarum convictores ex hac chatedra dicen-
tes usi estis suffultus, à vobis omnibus auditores le-
ctissimi officiosè contendo ut mihi in hoc arduo di-
cendi genere balbutienti potius quam dicenti be-
nevolentia vestra Zephyrum accomodetis gratia
favorisq; vela indulgeatis quo sælicius instituto
meo perfungi, eursumq; ad optatam metam per-

ductum conficere queam. DICTUM HOC AURORA
GRATA MUSIS APTA STUDIIS, docet nullam diei
ei partem ad parandam sapientiam utiliore & ma-
gis accommodatam esse quam diluculum nam tunc
sol novus oriens vigorem & alacritatem adfert o-
mnibus rebus, præcipuè corporibus & mentibus
humanis, ideo horis matutinis corpus habile est &
idoneum ad omnem functionem, tunc alacer viget
animus, tunc auræ divinæ particula spirat, & sapit
originem suam & rapitur ad amorem & studium
honesti. A prandio verò vix semi homines sumus
quia & corpus cibus onustum, aggravat mentem,
& spiritus in homine officium concoctionis pera-
gentes, non possunt sine periculo ab officina stoma-
chi ad superiora evocari. A cæna autem multo
minus ad suscipiendam de rebus gravibus & serijs
cogitationem, & præstandam intentionem idonei
sumus. Quemadmodum multus somnus nec cor-
poribus nec rebus gerendis natura conducit, & ut
nemo dum dormit alicujus prætij est non magis ac
si non viveret teste Platone: Sic etiam Eschines
somnia diuturniore quam deceat, dicebat mor-
tuis potius quam vivis convenire; Matutinæ verò
vigiliæ non solum non nocent corporibus humanis,
sed etiam ea corroborant & vegetiora reddunt:
rectè igitur monet cato cum dicit.

Plus

Plus vigila semper nec Somno deditus est
Nam diaturna quiete vitijs alimenta ministrat
Ideo Tithonus apud Ovidium fingitur amatus ab
aurora, quod ante solis ortum surgere, & tempus
matutinum non somno sed rebus agendis tribuere,
solitus est, fingitur etiam ad summam pervenisse se-
nectutem ejusdem auroræ succo perfusus. Valde
enim prodest auroræ succo perfundi, hoc est ortum
solis antevertere, vel simul cum eo expergefieri,
& tempus illud in bonis rebus tractandis collocare.
Seneca illos qui lectos inaurant & deargentant
confert cum avibus quæ convivij comparantur,
ut illæ imotæ facile pingvescant, in obscuro conti-
nentur: Ita sine ulla exercitatione jacentibus, tu-
mor pigrum corpus invadit. Quid? Quod sapi-
entia ipsa apud Salomonem inquit: qui mane vigila-
verint me invenient. Beatus qui vigilaverit ad fo-
res meas. Huc accedit & illud quod cultus &
preces quæ manè ad Deum instituuntur, ipsi longe
gratissimæ sunt. Cui enim ignota sunt dicta psal-
mi? Domine manè exaudias vocem meam manè
astabo tibi & videbo. Et mane surgentes adora-
verunt coram Domino. Etsi enim Deus nec locis
nec temporibus alligatus est: tamen matutinum
tempus cogitationi & precationi maximè idone-
um est, cum corpora nec cibo nec fumis onerata

1. Sam.

1.

sunt, & acerrima in ieiunijs intentio esse potest. Ut non dicam omnes sapientes, qui unquam aliquid vel laude dignum in studijs præstiterunt, vel suis consilijs & laboribus Reip. profuerunt, præcipuè matutinum tempus rebus agendis tribuisse. Demosthenes non solum ut excundi facultatem sibi ipsi adimeret, & assiduitatem (sine qua nihil utiliter in studijs effici potest) præstaret, alteram capitis partem abrasit: verum etiam in angusta & ardua admodum sponda cubuit ut manè citò expergisci, tempestive surgere & literis incumbere posset. Unde ortæ sunt voces:

Demosthenes plus olei quam vini absumpsit.

Demostenis orationes olent Lycbnum.

Silencio premo magnum illud eloquentiæ, flumen Cie. Qui jam se matutina tempora lectiunculis consumere jam se ante lucem multa componere aliquoties in epistolis ad Atticum scribit. Prætermitto platonem, qui juventutem ut primum lucere cæperit, ad vigilias omnemq; vitæ atq; officij rationem erudiendam docet. Prætereo Arist. qui ingenij viribus tum acuendis tum excitandis conducturam matutinæ vigiliæ curam in œconomicis Scriptum reliquit. Taceo Hesiodum qui auroram omnibus vitæ studiorumq; agitationibus accomodatissimam esse ait. Sileo Euclidem Isocratem & multos alios præstantes viros qui tantam eruditio-

nem matutini temporis usu ac beneficio consecuti
sunt ut communem hominum sortem excessisse vi-
deatur. Quare nullo laudum genere non afficien-
di sunt Gymnosophistæ (ut scribit Apuleius) qui oti-
um & torporem animi tam vehementer oderunt, ut
positâ mensa antequam edulia apponantur, conve-
nientes illuc adolescentes, prærogant magistri
quodnam à lucis ortu usq; ad id dici bonum fece-
rint si qui respondere nescirent, ij impransi foras ex-
trudebantur. Huc quadrat etiam illud salomonis
Pigritia parit Somnum & anima ignava esuriet.
Item Noli diligere somnum ne pauper fias, sed ape-
ri oculos ut pane explearis. Memoriae proditum
est extisse patrem familias, cui gemini erant filij,
morientemq; illum tum suppellectilem multam illis
reliquisse, tum olei non mediocrem summam, quo
matutina uterentur ad opera tenebrasq; evigilan-
das. Alterum itaq; ex his in convivij ac cænis
oleum consumsisse, exq; eo brevi ad inopiam re-
ductum. Alterum verò dedisse operam literis,
oleoq; nocturnis in lectionibus usum, & eo perve-
nisse ad summas divitias, cæptum igitur cantari per
urbem de utroq; hujusmodi carmen.

Hic oleum & se perdit dum ad candelas canitat.

Ille arcam & se ditat dum ad lucernas lectitat.

Pudosi igitur est & quid dico pudori? Imo maximo
illis

Prov. 19
& 20.

illis no cumento est qui tam desides & ignavi sunt
ut ad audiendas lectiones pub. & conciones sacras
ne quidam clara luce de lecto surgant. Hi autem
plane imitantur Adolescentem illum ignavum &
somniaolendum, qui cum semper in medios Dies dor-
miret à parentibus suis, non solum objurgatus
sed etiam interrogatus est, cur tam diu in plumis
hæreret, quibus ille hunc in modum respondit: Ma-
ne cum evigilo, semper adsunt ad meum lectū duæ
mulieres, quarum altera me ad surgendum & ope-
ris aliquid meæ vocationi congruentis agendum
hortatur, simul ostendens turpe esse juveni sano &
robusto optimã diei partem in lectulo consumere,
Addens etiam Auroram tertiam partem operis di-
urni perficere, & vitam humanam non somnum sed
vigiliam esse: Altera autem mulier contra hanc nu-
gari ait, & turbare quietem, quã nihil neq; melius
neq; dulcius sit, & quã vita humana carere non pos-
sit, his subiiciens bonum si quid adipiscendū sit quo-
vis tempore rectè & com modè surgi: Malum verò
si impendeat nimis citò surgi quantumvis lectus se-
rò relinquatur hanc inquit Adolescens disputatio-
nem duarum muliercularum audiens cum dubitem
utri assentiar, soleo diutius in lecto commorari. Eo-
dem modo & piger ille apud salomonē in prover-
bijs introducitur, ubi Salomon illum formicã aspi-
cere

cere jubet cum ait : Ito piger ad formicam, ut in-
tuens in ejus exemplum sapiens fias, & si enim nec
principem habet nec exactorem operarum nec
dominum: tamen in æstate cibum parat & colli-
git in messe alimentum. Quam diu piger dormis?

Quando â Somno surges? paulum modo in-
quis dormitabo, paulum modo conseram manus
& componam ad quietem, Paulum somno indulge-
bo. Sed interea veniet inopia tanquam viator
& obruet te paupertas quasi quidam armatus. His
stultis & somno deditis socijs similes sunt omnes,
qui tempus matutinum studijs & intentionibus di-
vinis destinatum dormiendo ac cutem molliter cu-
rando consumunt.

Neq; vero in studijs solum, sed in omnibus
alijs negocijs recte agendis labor matutinus utilis
ac necessarius est noti enim sunt versiculi.

Surgito mane tibi ut vitulus contingat abundè

Conficitur facile pars tertia mane laborum

Aurora acceleratq; viam acceleratq; laborem,

Ideo opifices agricolæ & quotquot sunt homi-
nes industrij mane ad opus faciendum se accin-
gunt. Et apud rusticos nostrates tritum est sermone
proverbium Auroram panem secum in ore circum-
ferre. Quare si cerdones, opifices, fabri viatores
& operarij omnes vilis lucelli causa ad exantlandos

labores vocationis manè surgunt: Quanto magis nos qui in literis versamur & bonarum artium studiosi & musarum cultores ac alumni dicimur manè surgere debebamus? Non enim fortuita bona cuiusmodi sunt illa, quæ mercatores & operarij sectantur, sed sapientia & virtus quibus nihil, utilius, nihil iucundius, nihil inuicivius, nil delectabilibus, nihil optabilius Dei concessu & munere hominum generi datum est, nobis, proposita sunt. Quantum igitur Argentum plumbo & aurum cupro præstat: tantò præstantiora sunt nostra, hæc præmia quæ in bonis literis nobis offeruntur & donantur, illis quæ operarij nautæ mercatores, tanto studio labore vigilijs, addo etiam discrimine vitæ quærunt & aucupantur. Sed quid de agricolis mercatoribus & nautis dicendum. Egregium imo regium habemus exemplum nullo revo moriturum in Divo GUSTAVO ADOLPHO MAGNO & Secundo piæ memoriæ rege nostro olim serenissimo & clementissimo, qui non tantum in laboribus bellicis exercendis sibi non pepercit, verum etiam ex eubias per plurimas egit, ut nos tuti dormire possemus: ille pro nobis vigilavit, ut in nostris finibus pax tranquilla, & cum pace verbum Dei habitaret.

Quid? Quod omnia animantia cum sole expergiscuntur, imo quidam illum nondum ap
paren

tem, sed adventantem cantu Salutant. Luscinia
enim & alia aviculae nobiliores magnam cantus sui
partem ante ortum solis consumunt. Ac ut de
alijs animantibus non dicam, Plinius Elephantes so-
lem orientem adorare dicit cum ad amnem quen-
dam cui nomen est Amilo gregatim descendunt
ibiq; se solenniter purificantes aqua circumspen-
gunt, atq; ita salutato sydere in sylvas reverti, Turpe
igitur est homines quos ad laborem condidit Deus, *Job. 5.*
ut aves ad volandum ab animantibus superari.

Sit autem hoc nobis persuasum idq; explora-
tum omnino ducamus auditores lectissimi, nihil eo-
rum quae verè honesta sunt pulchra & Salutaria
contingere hominibus nisi per vigilantiam & labo-
rem, ut multa veterum sapientum dicta monent,
nam sicut à cibo pendet vitae sustentatio: sic à labo-
re etiam pendet quidquid in rebus bonum est. Et
ut herba Moly difficile quidam foditur sed ad re-
media praeter ceteras est efficax: ita quae praecleara
sunt non contingunt absq; vigilantia & magno ne-
gotio. Notum etiam est illud Epicharmi:

Ἰὼν πτωχὸν πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τὰ κατὰ θεοῖ.
Rede igitur monet Phocyl.

De proprio ut vivas duos tractato labores,

Namq; piger manibus vitam sustentat iniquis,

De cana alterius mensa ne pascere sordes,

*Sed de pasce tuis ignominiaq, carebis,
Artem qui didicit nullam colat arva ligone,
Quod facias non desit opus sudore volenti
Si tractare voles remos, est aquor apertum,
Si terra cultura placet, sunt grandia rura.
Nil geritur bene si desit sudorq, laborq,
Non ipsisq, Deis: virtus sudore iuvatur,*

Cleanthes quæstu extrahendæ aquæ nocturno tempore inopiam suam sublevabat diurno crysippi præceptis operam dabat. Hac igitur vigilantia & labore non solum ad summum eruditionis & honoris fastigium pervenit, sed etiam tantas facultates consequutus est, ut alium (si voluisset) Cleanthem liberaliter & SuffICIENTER alere potuisset.

Aristoteles etiam stagirites frequenter dicere solebat artium radices satis quidam esse amaras, sed dulcissimum adferre fructum sensit sapientissimus nihil absq; duro labore ab homine parari posse, attamen postquam requies sequitur, homo multis refocilatur bonis.

Quis non miretur amorem literarum, laborem & indefessum studium Euclidis qui capitis periculum subire non recusabat, ut noctu Socratem docentem audire posset. Cum enim ex certo quodam decreto Athenienses cavissent, est si quis megarensis civis pedem Athenis inferens depræhensus

sus esset, capitali supplicio afficeretur; Euclides qui interdium Megaris habitabat atque antè illud decretum Athenis versari & Socratem audire solitus erat, post promulgatum edictum sub noctem personatus Megaris Athenas ibat, ut aliqua parte noctis, Socratis doctrinam & colloquio frui posset, rursus sub lucem viginti millia passuum ambulans domum se recipiebat. O admirandum studium! O prædicandam diligentiam & laborem Euclidis, noctu iter satis longum conficientis & cum discrimine vitæ urbem Athenarum ingredientis, ut Socratem disserentem audiret! O flagitiosam ignaviam nostram! O Socordiã & lethargiam detestandam qui non noctu sed interdium, non aliquot miliaria, sed paucos passus pedibus metiri, & quidem in summa tranquillitate & pace (propter quod Deo Opt. Ter. Max. sit laus & gloria nullo seculo terminanda) lectiones audire, & alia exercitia disputandi & declamandi colere gravamur!

Ut autem in certaminibus olympicis nemo coronabatur nec præmia ulla consequeretur, nisi fortiter & strenuè antea pugnasset: nec Agricola fructum optatum adipiscuntur nisi agrum antea diligenter & fideliter coluerint: Sic nemo in juventute somno & turpi otio deditus cogitet se ullam partem veræ laudis & gloriæ consequiturum esse. Et
quem

quemadmodum agrum qui ad sementem compara-
tur scindi oportet inarari, occari, fartiri & alijs quam
plurimis modis vexari: Sic nos quoq; dum ad vir-
tutem erudimur, nulla laborum impatientia decet
frangi. Semper à nobis absit somnolentia qui lite-
ris dediti sumus & ex ijs veram laudem & emolu-
mentum percipere cupimus memores dicti istius

ὄψιν ἀπείρω γλυκίθυμον ὀμμάτων

Oculis abesto demulgens animum sopor

Item. *Non jacet in molli veneranda scientia lecto
Illa sed assiduo parva labore venit.*

Huc facit etiam festiva illa fabula de Hercule ex
prodici & Xenophontis libro desumpta. Cum Her-
cules ex pueritia egressus, jamq; prope pubertatem
esset, exiit in solum locum, seditq; tacitus delibe-
rans utram viam Virtutis ne an voluptatis iniret.
Hic apparuerunt ei duæ mulieres, quarum una vultu
modesto & liberali erat nullo peregrino cultu aut
fucato ornata, in cuius corpore mundicies, in oculis
pudor, in incessu modestia erat.

Altera autem carnosior, splendida & pom-
posa veste ornata & fucato quodam colore tin-
cta: Hæc, Oratione ad ostentationem composita,
Herculem compellans ei vitam suam delicatam
& omnibus voluptatibus affluentem obtulit, di-
cens si me tibi adjunxeris beabo te jucundissima &
facil-

facilima via: nulla enim res jucunda est qua non potieris, & molestiam nullam perpetieris neq; enim bella neq; alia negocia curabis sed meris delicijs meris gaudijs, plausibus, cantionibus, tripudijs, cithara vino venere circumfluere. Hanc sequuta est altera vultu modesto & liberali non multis verborum ambagibus ludens sed oratione recta & simplici utens, Hæc conversa ad Herculem sic ipsum alloquitur.

Novi ô Adolefcens generosos tuos parentes, indolem & educationem tuam, hæc mihi spem faciunt ut si me sequutus fueris; magnas & præclaras res geras, quanquam enim via mea ardua & difficilis est primo ingressu, tamen ubi pertenderis & culmen optatum attigeris non te poenitebit laboris: Nam nulla bona sine labore curaq; mortalibus Dij dederunt: sed sive vis Deos tibi propitios esse, placandi, sunt sive ab alijs diligi vis beneficijs adjungendi sunt, sive honore affici à civibus cupis benemereri de patria oportet, sive vis ut terra tibi pareat fruges colenda est, sive ex pecudibus ditescere vis, pascendæ sunt. Hæc cum audivisset Hercules admodum Adolefcens, spretâ voluptate ejusq; illecebris virtutis viam forti & constanti animo ingressus est. Patiamur igitur nos à voluptate seduci,

— — — *Qua nocet emta dolore?*

At

At ne omnia & præcipuè illa quæ fabulosa sunt
consecter nevé vestra patientia abuter: compre-
hendam breviter. Ut nemo omnium sanctorum ad
immortalem illam beatitudinē delicato itinere per-
venit: Ita nemo unquam somno & otio indulgens
eruditionis & sapientiæ laudem adeptus est. Quare
si fructum aliquem studiorum Deo gratum, & nobis
ac alijs salutarem percipere cupimus somnus & vo-
luptates fugiendæ, labores vero suscipiendi erunt.

Quod si hic non tanta utilitas ostenderetur etsi
solum bona conscientia (quæ est ut D. Hugo
inquit titulus religionis, templum Salomonis, ager
benedictionis, hortus deliciarum gaudium angelo-
rum, arca foederis, Thesaurus regis, aula Dei, ha-
bitaculum Spiritus S. liber signatus & clausus & in
extremo die aperiendus) studia matutina comita-
retur, certè hæc unica causa nos ad surgendum, &
aureum illud tempus matutinum rectè collocan-
dum exuscitaret. Nam si prodigalitatem, hellu-
ationes, luxuriam, immutabili ordine, sequitur do-
lor animi, & cruciatus conscientiæ, Quo angore,
quoque pudore paulo post illos qui sibi temprios,
& quidam illius particulæ, quæ totius temporis flos
& nucleus est malè collocatæ conscij sunt affectos
& excarnificatos iri arbitamur? Apud græcos lege
cautum fuit, ut qui paterna bona prodegisset malo-
rum

rum sepulchris inferretur, si jam non vituperandi sunt solum, verum etiam gravissima poena digni sunt illi, qui patrimonium suum & facultates turpiter dilapidant cur non multo magis reprehendi sunt illi, qui tempus preciosum & ætatem florentem male collocant & temerè perdunt? Opes & facultates aliqdè refarciri possunt, temporis autem jactura irreparabilis est. Juxta Rytum.

Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum:

Quisq; potest rebus succurrere, nemo diebus.

Nam fugit interea fugit irreparabile tempus. Deinde damnum quod ex prodigalitate oritur, ad ipsum prodigum tantum, vel certè ad paucos alios pertinet; incommodum autem quod ex tempore male collocato existit, multò latius patet, & ad Ecclesiam & ad Rempub. redundat, quippe ex eo patrie prodiones, rerumpub. everfiones, clandestina cum hostibus, colloquia nascuntur. Nullum deniq; scelus, nullum magnum facimus est, ad quod suscipiendum otio abutentes homines non impelluntur.

Sed obloquatur quis & dicat vires somno recreandas & valetudinem curandam esse, cum durable non sit, quod alterna requie caret, & ut vulgo dicitur:

Redditur invalidus nimium si tenditur arcus.

Remittendum quidem interdum à vigilijs fateor, ut ad laborem alacriores & exitatiores redeamus & ita dormiendum esse ut vires recreentur non opprimantur, sed nec committendum, ut immodico somno necessarij labores divinit⁹ mandati impediatur. Ut autem tempestivo moderatoq; somno corpus humanum suavissimè afficitur maximèq; vegetatur: sic superfluus somnus animos habebat & corpus enervat. Nec inconcinne huic sententiæ subscribit Plutarcus cum dicit: Plantæ cum modicis aluntur aquis, crescunt, multis verò suffocantur: sic animus hominis moderatis laboribus & vigilijs adjuvatur, immoderatis opprimitur. Et ut princeps ingenij & doctrinæ plato inquit Somnum nec animis nec corporibus nec deniq; rebus agendis conducere: sic M. Marullus laborem comendans inquit intellectum labore corporis vegetari, voluptatum appetitionem coërceri, superbiam frangi virtutem retineri, & quidquid per otium corruptum fuerit per laborem in staurari.

M. Cato huic etiam singulare patrocinium præstat, cum dicit vitam humanam esse ut ferrum, quod si excerceas maximè splendet, sin minus excerceas rubigo illud corrumpit. Sic homines inhonestè rubigine corrumpuntur si non exercentur. Tradunt sapientes pueris & adolescentibus sex vel
ad

summum 7. horas dormivisse abunde satis esse.
Quod cum ita sit recte monet peritissimus medico-
rum princeps Hippocrates, non solum in cibo potu
& exercitijs corporis, sed etiam in somno modum
servandum esse cum inquit: *πάντοι σιτία πτω, ἕωνοι πάντων
μέτρια.*

Sed instabit quispiam & dixerit fortasse parsimoni-
am & frugalitatem quandam esse diu dormire ac
in multam lucem stertere, parci enim sumptus
interea loci nec ligna nec candelas (quæ quidam
hoc tempore satis carè emuntur) absumi. Quasi
vero frugalitas & non potius summa profusio sit
ut Menander.

Ἐμὴ φυλάσσεις μικρὸ ἀπολείς τὴν μέζονα.
Imo servare plumbum ut aurum dilapidas, amplecti vi-
trum, ut gemmam amittas. Cum enim tempore nihil
pretiosius sit & ut verè quidam ex sapientibus philosophus
dixit, graviter accusandi sunt illi, quos non pudet pretio-
sissimam rei pretiosissimæ partem stertendo perdere, rem
inestimabilem exiguorum sumtuum impendio circum-
scribere, & interea occasionem discendi res Deo gratas,
& sibi ipsis ac alijs hominibus Salutares oscitanter ne-
gligere. Quod autem à quibusdam adeo grave & mole-
stum videtur maturius surgere & lectum deserere, ni-
hil revera aliud nisi consuetudo incausa est quam Etinici
alteram naturam esse dixerunt, quæq; ut in omnibus alijs
rebus naturæ vim obtinet, ita & in dormiendo. Sed ut
multi naturæ vitium exertatione sustulerunt, Et assiduus
usus uni rei deditus, & ingenium & artem sæpe vincit, ut

ut verè dixit Cicero : Ita prava illa in claram lucem stercendi consuetudo brevi tempore & quidam sine ulla molestia & valetudinis offensione corrigi potest, si quis vel leviter annitatur. Nam ut maximè quis somno matutino deditus sit : tametsi tantum unius mensis spacio maturius surgere incipiat, & in ea re assiduitatem præstet, sentiet sibi deinceps vigilias matutinas non solum non oneri, sed etiam voluptati fore.

Quamobrem propter Deum, qui tempus matutinum ad res pias & salutare discendas tractandas & gerendas præcipuè condidit & ordinavit : propter bonam valetudinem qua (teste Platone) nihil in hac vita melius est : propter utilitatem immensam qua nemo sanus non vehementer movetur : propter laudem & gloriam cujus stimulis optimi cujusq; animus noctes & dies concitatur : propter personam quam nobis ipse Deus imposuit magnaq; ornatam excellentia præstantiaq; præ reliquis animantibus quæ cum ipso sole surgere vel eius ortum antevertere videmus : Deniq; propter bonam conscientiam quæ virtutum nostrarum & innocentie trutinatrix est & cui nulla suavitas comparari possit, quæq; jure convivium est ut Salamon inquit, nos studia matutina ambimus & magnificemur & colemus, nec nos ullis pravis exemplis, voluptatum illecebris ab hoc honesto justituto dimoveri patiemur memores dicti Plinij, vitam vigiliam non somnum esse, & Platonis, *νομίζωμεν ὅτι ἐστὶν ἕδος ἄξιον*. Nemo dormiens ulla re dignus.

Paucis me de hoc dicto AURORA GRATA MUSIS tenui filo dicentem, & crassa minerva balbutientem iam audivistis, quæ æquis auribus & animis à vobis accepta, spe vestri favoris suffultus mihi confidenter pollicor. Deum itaq; Ter. Opt. Max devotè precamur, ut adventum domini

ni accensis lampadibus cum prudentibus virginibus vigilando expectare valeamus, & dicere cum salemone ego quidem dormio sed cor meum ad te domine vigilat. Quod super est S. S. Trinitatem ardentibus votis rogamus ut celsissimam & illustrissimam principem & electam Regni Sveciæ reginam dominam nostram clementissimam, Dn. CRISTINA M benedictionis suæ radijs, in optatissimum regni incrementum illuminare, Serenissimam ac illustrissimam principem D. MARIA M ELEONORAM Regiam viduam, in hoc maximo & ferè incurabili marore constitutam spiritu consolationis corroborare dignetur. Praeulstres & generosissimos regni proceres & consiliarios, spiritu prudentiæ regat, & in omni bono opere confirmet, ut Deo grata regno salutaria consilia & actiones meditentur ac exercent, Tu multus populorum avertat, & omne bellum longe à nobis repellat. Doctores praeceptores spiritu suo sancto gubernet tueatur ac defendat: Ecclesiam deniq; almamq; nostram Academiam totam calore suo caelesti foveat, ut quæ ad hunc usq; diem in benignitatis suæ corona crevit & floruit, ea in posterum ne decreseat aut deflorescat.

D I X I,



Literatissimo Adolescenti

Dn. ROBERTO PASCHASII, JUNANDRO Smol. artium & morum studioso impigerimo, de AURORA MUSIS amicâ declamanti.

TEmpora labuntur tacitisq; senescimus annis,
 Et fugiunt frano, non remorante dies.
 Tempore, quo melius nihil ut pretiosius illo est,
 Sic semel amissum hoc, irrevocabile manet.

Anti-

Antiquus quondam certis rationibus usus,
Hoc cecinit censor, consona verba metro:
Vidi ego jam juvenem, premeret cum senior atas.
Moxentem, stultos praterisse dies
Haud aliter sapit hæc tua suavis Suada R O B E R T E,
Laudibus auroram, sympatriota vehens.
Quippe suas merces, rejectâ mole laborum,
Terrigenis nunquam, vendit & ipse Deus.
Hac ratione tuum specimen diffundis in orbem,
Teve Heleconiadis, castra sequendo probas.
Nam celebrat Sobolem rosis aurora quadrigis,
Illa nec ignavo, præmia quæq; dabit.

Moris & amicitia ergo festinans scripsi

M. NICOLAUS PETRI Smol.



Α Λ Λ Ο

Kινῆ ἀρτάχλη γ' ἀνὰ τοὶ ὀ ἐρεσιβόητ
Μην κάβα ἐξ ὕπνις ἔ γλυκερῶιο πολῦ
Τὲς κέ αὐτάντες ταῖς ὄσσησι τιβάρησι.

Πάννουχον ἕσωνον πρὸ πένον ὄρων ἐχέμεν
Αὐτῶς κῆ ὄρνυς ΡΟΥΠΗΡΤ' ἐρίη τε ἐταίρε

Τῶ π' ἐρεσιβόω γομφοπαγεί τε λόγῳ
Σπασδαίσε βίβλοισι δὴ ἐσσυμένως τε συνείνα

Κίδραται ευπλόκαμ γλυῦ ἐπὶ ὅτι εἰός.

Ἀρεσιέως πρὸκοπν δῶσ' ἐν θεῶ ἀεί κίλλον

Ἀρεσιέως κάρπον πάντοσε δεξί' ἄατον.

ἀσπασῶς τῆς ἀρθμίας ἐνεκα
ἐσθιάζον

MAGNUS JOANNIS HOFMAN-
nus De Petrà wex,

